



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

Synodus Alexandrina.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

ANNO
 CHRISTI
 451

Exemplar epistole Leonis imperatoris.] His omnibus epistolis sequentibus scribendis occasionem præbuerunt, partim pseudomonachi in Ægypto sacram Synodum Calchedonensem respuentes, eamque de erroribus arguentes; partim plebs Alexandrina, quæ exordio imperii Leonis, anno nimirum Domini 457. in cœna Domini septimanâ sanctâ Proterium Dioscoro substitutum occidit, eique Timotheum Ælurum cædis auctorem, parricidam sacrilegum, hominemque, qualis depingitur in epist. Alexandrinorum ad Leonem scripta pag. 146. scelestissimum subrogarunt. Leo igitur imperator recens electus, accepta gratulatoria Leonis pontificis epistola 73. qua ad defensionem Calchedonensis Concilii monebatur, nihil antiquius habuit, quam fidei orthodoxæ consulere, & quibus eam viribus confirmare atque solidius stabilire valeret. Ad quod præstandum illud salubre consilium iniit, ut sanctionem amplissimam ederet, qua significaret, se confirmare omnia a prædecessoribus imperatoribus aduersus hæreticos promulgata decreta, atque in primis quæ pro firmitate Calchedonensis Concilii haud pridem a Marciano Augusto sancita fuissent edicta. Adiecit postea, ut ad metropolitanos omnes orientales literas daret, quibus reliqui pariter admonerentur ecclesiarum minores episcopi, ut cuius essent fidei, redditis literis facerent manifestum: ex quo alterum de duobus efficeretur; ut vel in hunc modum omnium orthodoxorum calculo, iterum ipsorum confessione Calchedonense Concilium firmaretur, & perinde ac præsentibus in Synodo, sua scriptione fidem catholicam communitent: vel saltem ex hoc, qui essent hæretici, palam fieret, detectique tum sententia episcoporum, tum etiam legibus imperatorum e gradu sedequè protinus eiicerentur. Hæc constant ex epistola Alexandrinorum, quam ad Leonem imperatorem transmiserunt, & ex illa encyclica imperatoris ad Anatolium Constantinopolitanum his de rebus scripta.

Quæ occasione epistolæ viro- rum illustrium pro Calchedonensi Concilio scriptæ sint.

Hac occasione ipsi quoque hæretici ad Leonem imperatorem legatos literasque dederunt, quibus more hæreticorum profitentur se Nicænam fidem citra vllum additamentum credere, quibus Ephesinum Conciliabulum sub Dioscoro celebratum venerantur, & Calchedonensem Synodum reiiciunt.

*** SYNODVS ALEXANDRINA,**
A PROTERIO ALEXANDRINO EPISCOPO

in causâ Eutythianorum celebrata sub Leone.

NOTA.

* *Synodus Alexandrina*] In hac Synodo congregata auctoritate Proterii illius, qui in locum Dioscorigi magna cum seditione Alexandrinorum, ut supra diximus, subrogatus fuit, actum est, ut illi qui a catholica communicatione hæctenus ob hæresim Eutythianam separati fuerant, catholicæ fidei professione facta, ad ecclesiam

Causa habiti Concilii.

Concil. Tom. 9.

H h h ij

redeant. Sed cum illi penitus restitissent, imperator eos exilio multavit. Mentio huius Concilii habetur in epistola catholicorum episcoporum & clericorum Ægypti ad Leonem, quæ extat supra post Calchedonense Concilium. Vide quæ dixi in notis Concilii Calchedonensis, verbo *exemplar*.

ADMONITIO IACOBI SIRMONDI

De Concilio sequenti.

DE Concilio Arelatenſi II. quod ſequitur, duo paucis admonendus es, lector. Vnum, quod magnam in hac editione Canonum acceſſionem factam vides, ſecutos in ea nos eſſe vetuſtiſſimum exemplar ſanctæ Mariæ Rhemenſis, quod & titulos & Canones hocce numero atque ordine continebat. nec dubium videbatur, quin hæc vera olim ac germana Concilii prima editio fuiſſet. Alterum, cum exploratum hæctenus de Concilii huius tempore nihil ſit, nos in eo collocando id ſpectaſſe, vt iis omnibus Conciliis, quæ priora illo fuiſſe conſtaret, ſubiiceremus.

^{1a} CONCILIVM ^b ARELATENSE II.

Binius c. tē-
pore Siricii
pape cele-
bratum pu-
tat.

SVB RAVENNIO, VT VIDETVR, EPISCOPO per hæc tempora celebratum, poſt Arauſicanum videlicet, & Vaſenſe, quorum ex Canonibus Concilii huius Canones pro parte contexti ſunt.

TITVLI CANONVM.

- | | |
|---|---|
| I. Neophytum leuitam, vel sacerdotem non ordinandum. | VIII. Qui alterius excommunicatum receperit. |
| II. Si conjugatus ad sacerdotium fuerit electus. | IX. De Nouatianis non nisi damnato errore recipiendis. |
| III. Quæ mulieres in domibus habitent clericorum. | X. De his qui in persecutione fidem Christi negauerint, quantum temporis, vt recipiantur, penitentiam agant. |
| IV. Vt puella ad cellarium clerici non intromittantur. | XI. Si qui in persecutione fidem negantes sacrificare compulsi sunt. |
| V. Vt episcopus sine metropolitani epistola, & tribus comprouincialibus, non ordinetur. vel si in duas fuerit electio facta personas. | XII. De his qui in penitentia positi exceſſerunt. |
| VI. De eo qui sine conscientia metropolitani episcopus fuerit ordinatus. | XIII. Nullus clericus suam relinquat ecclesiam. quod si in aliena ecclesia, habitans, inuito episcopo suo fuerit ordinatus, irrita sit ordinatio. |
| VII. De his qui se carnaliter abſcidunt. | XIV. Vt clericus pecuniam ad v- |